

THESES PHILOLOGICÆ,

DE DIFFICULTATE INTERPRETA-  
TIONIS SACRÆ,

QUAS

IN DISPUTANDI MATERIEM STIPENDIARIIS

AD ACADEMIAM IMPERIALEM

ABOËNSEM,

CONSENT. MAX. VENER. FACULT. THEOLOG.

EXHIBET

*Mag. JACOBUS BONSDORFF,*

*S. S. Theol. Doct. & Profess. Publ. Director Semin. Theolog.*

*Eques Imper. Ord. de S. Volodim. in IV:ta Clas:æ,*

RESPONDENTE

*CAROLO GUILIELMO MJÖDH,*

*Stipendiario Publ. Aboënsi,*

In Auditorio Philosophico, die V Octobr. MDCCXXV.

hor. a. m. solit.

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIORUM.

## 1.

**M**ultiplicem litteraturæ cujusvis, in excolendo humano ingenio se exferentem, usum æqua mentis ponderantes lance, facile invenimus varia opus esse doctrina, studio atque cautione ad genuinum Scriptorum in quavis arte & lingua eruendum sensum, eundemque ad vitæ quævis negotia applicandum. Ut igitur interpretatio justa rite procedat, non modo ad universam ejus præceptionem s. regulas, verum etiam ad subsidia ac difficultates, quibus nonnihil sanus aut adjuvatur aut impeditur sensus, attendendum est.

## 2.

Neque aliam patere viam ad sublimia religionis nostræ dijudicanda eruendaque principia, quam sobrium litteraturæ Sacrae studium, gratum illud atque fructuosum, sed ab omnibus non omnino immûne errandi periculis impedimentisque, dabunt quotquot Divam religionem curæ cordique habuerint. Quare etiam factum est, ut optimi interpres quoque sagacissimi fuerint Theologi, duplēcē suam bene ornantes spartam; contra vero, theoriam dogmatum sive universam sive ex parte perperam exhibuerint, qui negligentius aut fallacius in interpretatione Sacra versati sint.

## 3.

Ratum vero habemus & compertum, nullum Sacrorum librorum interpretem arduo suo satisfacere posse negotio, nisi ingenii dotibus, exacta linguarum peritia, assiduitate, veritatis amore atque modestia suffultus ornatusque sit, quippe quibus artibus vera videndi & facultas & prompta voluntas enascatur. Proinde temeraria eorum culpanda est opera, qui variâ licet instruâti doctrina, licentius tamen & immoderatus in universo litterarum Sacrarum grislantur campo, quidlibet contra rei veritatem historicam & grammaticam testatissimam fingere certaque cum incertis permutare præoptantes. Qui si didicerint, certitudinem interpretandi ex usu loquendi communi, sententiârum evidentiâ & nexus nativo, universoque orationis consilio derivari, ab obscurandi & torquendi tantilper abstine-

rent, in evidentissimis dictiōnibus ac veritatibus, nisu. Sunt quippe non minus in dogmatum, quam pandectarum Sacrarum circulo, nonnulla adeo axiomatica, ut fere ad mathematicos redigi possint calculos.

4.

Hac tamen non obstante evidētia & certitudine, difficultiora loca indeque deducta ratiocinia, in quibus examinandis & ad probabilitatem saltem deducendis magna requiriatur circumspetio & interpretandi subtilitas, dissimulandum non est. Qui enim perpenderit, lingvas, quibus concinnata est Scriptura Sacra, dudum ex quotidiano usu exulasse; abstrusas obvenire ad antiquoris ævi ritus ac mores allusiones; sublimiores & a priscarum gentium, Græcæ nominatim, philosophia abhorrentes sœpius proponi veritates atque eventus; divortia porro sententiarum ex controversiis enata suisle plurima; haud sane mirabitur, magnam suboriri in sensu definiendo difficultatem. Ea vero non impedit, quo minus expediri poscit verisimilior verborum notio & orationis totius cohærentia, si ritte adhibeantur quævis ad intelligentiam sermonis pertinentia adminicula Exegetica. Fac vero, nonnulla manere dubia & omni investigatione superiora, quia in optimis quoque Scriptoribus profanis multa restant ambigua, difficulter enodanda; attamen non sic quidem perit interpretationis summa vis & necessitas, neque præciditur spes futuro quondam ævo clariora videndi.

5.

Præter causas, in linguae ipsius emortuæ genio rerumque suprasensualium natura sitas, quibus impediri vulgo solet reatum judicium, alias adhuc nominare licet, ex levitate animi & præjudiciis oriundas, facile tamen tollendas. Si enim aut rigide nimis tantam Divinitatem ipsi lingvæ & verbis quibus cunque adsignaveris, qua verba inspirata tantum significare putantur, quantum possint, adeoque in mysticismo & allegoriam gyrum temere prolaberis, aut cavillandi seftatus artem cum novaturientibus Divina eloquia taxaveris, ad perversum eadem detorquens sensum; quem inquam facum non tibimetipsi & aliis in ipsa interpretatione facies? Qui præconceptas contra religionem fovet opiniones, male ut plurimum in sensu eruendo procedet, nihil curans quod antea observatum a bonis inter-

terpretibus sit aut deinceps observari possit. Quomodo enim animus, ab ira & odio religionis non vacuus, veritatem asse-qui, notiora a minus notis fecernere & difficiliora rite explicare valebit? Contigit, nec potest non contingere, ut nubem pro Junone (ut fertur proverbio) amplectantur, qui affectuum & præjudiciorum subjecti sint imperio.

6.

Censura quoque perstringendus est eorum error, qui litteraturam Biblicam in nudis verbis & minutulis disceptationibus ponentes, aut illam ambiguam esse in universum existimantes, remoram sibi ipsis faciunt, ne Divam assequantur veritatem. Falsum enim est, in minutis hærere Philologiam Sacram, aut incertam evadere Interpretum opera, ut potius hæc ipsa omnem attulerit rei Sacræ certitudinem. Infinitas allegant doctorum virorum discrpantias in interpretando, quarum exemplum unicum afferri meretur: Galat. III: 20. quo in loco adnotavit Celeb. Gabler plus quam quadraginta exponendi modos. Attamen si in classes rite redigere voluerint diversas hasce interpretum sententias, atque ad filium orationis attendere, vix supererit dubitandi locus de vulgatisimæ interpretationis veritate. Elliptica scilicet dictio: μετίτης εκ επινέος, suppressum vocabulum διαθηκης vel ρεψ clare admedium innuit ac respicit.

7.

Præmaturum denique judicium de litteratura Sacra, Hebræa & Græca, utpote in populari Religione constituenda minus necessaria, aut ministris Sacris quoque superflua, totum ex defultoria profluxisse ratiocinandi arte, longiori vix eget demonstratione. Versiones quippe adesse nobis Bibliorum Sacrorum, adeoque otium factum in eruendis hisce antiquis scriniis, ita regerunt semidocti, ut alto supercilie ulteriore susque de que habeant interpretandi operam, parum animadvertentes, quid discriminis sit inter popularem Scripturæ S. usum, quem versiones spectant vernaculae, & litteratum illum atque scientificum, ad quem religionis doctores adspirare omni debent diligentia. Quomodo scilicet semet ex molesta interpretationis difficultate & ambiguitate, quomodo ex ingenti sententiarum varietate extricare valebunt, nisi justa adhibita fuerint admicula? Proinde futuros Theologos non possumus non ab ista vanitate præjudicii plena funestaque animi levitate avocare.